MASTER
NEGATIVE
NO. 92-80480-18

AUTHOR:

SPENGEL, MAXIMILLIAN ANDREAS

TITLE:

CONIECTANEA

PLACE:

MONACHII

DATE:

1858

Master Negative #

92-80480-18

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

88SE
Z8
v.5

Spengel, Maximilian Andreas, 1838-
...Coniectanea ... in Sophoclis tragoedias.
Monachii, typis Caroli Roberti Schurich, 1858.
15 p. 28 x 22 cm.

At head of title: "Friderico Thierschio...gratulantur Seminarii philologici Monacensis sodales."
Volume of pamphlets

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 13½X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 3/11/92 INITIALS TM
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

FRIDERICO THIERSCHIO

SUMMO VIRO

SACRA SEMISECULARIA

DIE XVIII. MENS. IUN.

QUO DIE ANTE L ANNOS

PHILOSOPHIAE DOCTOR

GOTTINGAE RENUNTIATUS EST,

CELEBRANDA

PIIS VOTIS GRATULANTUR

**SEMINARII PHILOLOGICI MONACENSIS
SODALES.**

INSUNT CONIECTANEA **ANDREAE SPENGEL** LEON. F. IN SOPHOCLIS TRAGOEDIAS.

MONACHII MDCCCLVIII.
TYPIS CAROLI ROBERTI SCHURICH.

I.

Oed. Tyr. 536

φέρ' εἰπὲ πρὸς θεῶν, δειλίαν ἢ μωρίαν
ἰδών τιν' ἔν μοι ταῦτ' ἐβουλεύσω ποιεῖν;
ἢ τοὔργον ὡς οὐ γνωριοῖμί σου τόδε
δόλῳ προσέρπον, κοὐκ ἀλεξοίμην μαθών;

Oedipus quum Creontem, quem regnum affectare sibi persuasit, ante portas videret, graviter in eum invehitur quaerens, quodnam vitium sibi adhaereat, quo nisus talia moliatur. Haec quaestio in duas partes divisa est, cum diceret: utrum ignaviam an stultitiam in me vidisti? Pergit deinde:

ἢ τοὔργον ὡς οὐ γνωριοῖμί σου τόδε
δόλῳ προσέρπον, κοὐκ ἀλεξοίμην μαθών;

Haec sententia nihil novi continet, sed id quod jam enunciatum est, producit et explicat et accuratius describit. Apparet enim, hoc prius membrum: *ἢ τοὔργον ὡς οὐ γνωριοῖμί σου τόδε δόλῳ προσέρπον*, nihil aliud esse, nisi illam *μωρίαν*, itemque sub altero membro *κοὐκ ἀλεξοίμην μαθών*, illam *δειλίαν* intelligendam esse, manifestum est. Haec cum ita sint, laborant particulae. Si enim duo verba *δειλία* et *μωρία* conjunctione *ἢ* disjunguntur et deinde explicantur, in hac explicatione conjunctio copulativa *καί* locum non habet, sed ipsum illud *ἢ* redire debet. Res tam clara est, ut mireris, interpretes non vidisse, violatam esse logicam.

Hermanni autem audacissimum dictum, quod ad Aiacis v. 130 proferre ei libuit, eam virtutem esse graecae poeseos, quod non logicam veritatem sed vim respiciat, hoc in loco valere, ne ipsum quidem affirma-

turum fuisse spero; nos certe hanc audaciam nihil morantes turbatam dictionem mutata distinctione restituendam esse putamus, ut non duae sint diversae sententiae, sed una eademque, quae rite explanetur sic:

φέρ' εἰπὲ πρὸς θεῶν, δειλίαν ἢ μωρίαν
ἰδών τιν' ἔν μοι ταῦτ' ἐβουλεύσω ποιεῖν,
ἢ τοὔργον ὡς οὐ γνωριοῖμί σου τόδε
δόλῳ προσέρπον, ἢ οὐκ ἀλεξοίμην μαθών;

hoc est: *ἐβουλεύσω, ὡς ἢ . . οὐ γνωριοῖμι, ἢ οὐκ ἀλεξοίμην;* „*ignavumne me an stultum esse censes, qui insidias tuas aut non perspiciam, aut si perspexero, non ulciscar.*"*) Crasin horum verborum admitti constat (v. Ellendtium s. v. ἢ) et sequitur statim exemplum v. 555: *ἔπειθες ἢ οὐκ ἔπειθες;*

Sunt et alii loci in hac fabula, quos corruptos esse, interpretes non viderunt, ut v. 390

δόλιον ἀγύρτην, ὅστις ἐν τοῖς κέρδεσιν
μόνον δέδορκε, τὴν τέχνην δ' ἔφυ τυφλός; —
ἐπεὶ, φέρ' εἰπὲ, ποῦ σὺ μάντις εἶ σαφής;

postremum vocabulum sanum non esse, pater me monuit. Apollinis enim dictio si certa est, dicitur *σαφής,* ut v. 96

ἄνωγεν ἡμᾶς Φοῖβος ἐμφανῶς ἄναξ

et 106

τούτου θανόντος νῦν ἐπιστέλλει σαφῶς
τοὺς αὐτοέντας χειρὶ τιμωρεῖν τινάς.

si ambigua et incerta, ut fere fit, *ἀσαφής.* Itaque infra v. 439, ubi Tiresias oraculi instar futura promit, Oedipus jure dicit:

ὡς πάντ' ἄγαν αἰνικτὰ κἀσαφῆ λέγεις.

---

*) [Coniectura nec male excogitata et rite confirmata est; si vulgata hunc praeberet sensum, *ignavumne* an *stultum* me censuisti, *an utrumque et stultum et ignavum?* id multo gravius esset, sed verba longius exposita hoc non suadent, nec novam afferri sententiam, sed *δειλίαν ἢ μωρίαν* explicari probant. L. SP.]

at officium vatis est, ut dei sensum conjectando assequatur et mortalibus prodat, quare corrigendum

ποῦ σὺ μάντις εἶ σοφός;

quod recte verbo *τυφλός* opponitur, et quae sequuntur omnia *γνώμην* et *σοφίαν,* non *σαφήνειαν* indicant; notus est Euripidis versus

μάντις δ' ἄριστος, ὅστις εἰκάζει καλῶς,

sic in Antigona, 1039 Creon de Tiresia:

σοφὸς σὺ μάντις, ἀλλὰ τἀδικεῖν φιλῶν.

et in nostra fabula Tiresias dicitur v. 485 *σοφὸς οἰωνοθέτας,* v. 563 *σοφός γ' ὁμοίως κἀξ ἴσου τιμώμενος,* v. 568 *πῶς οὖν τόθ' οὗτος ὁ σοφὸς οὐκ ηὔδα τάδε.*

II.

Oed. Tyr. 639 (638)

ὅμαιμε, δεινά μ' Οἰδίπους ὁ σὸς πόσις
δρᾶσαι δικαιοῖ, δυοῖν ἀποκρίνας κακοῖν,
ἢ γῆς ἀπῶσαι πατρίδος, ἢ κτεῖναι λαβών.

In secundo versu plura insolite dicta sunt. Primum notandum, Creontem dicere, ex duobus malis alterum eligere sibi licere, cum antea v. 623 Oedipus clare pronunciasset: *θνήσκειν, οὐ φυγεῖν σε βούλομαι.* Sed nimis remotum est a nostro proposito demonstrare, quo modo hic nexus cum superiori constet. Deinde observandum, antipenultimam verbi *ἀποκρίνας,* quae corripi solet hic produci. De hac re videndus est Erfurdtius, qui ostendit, rara quidem, sed indubitata exempla occurrere, ut ne hoc quidem pro signo corruptelae habendum sit.

In tertio autem eoque vero miraculo fere omnes interpretes, etiam maxime clementes et placabiles, merito haeserunt, in inaudita scilicet synaloepha verbi *δυοῖν,* quod monosyllabum esse concludere non licet ex lingua latina, ut quae diversissimae sit conditionis in hac re. Hartungius sanare vult conjectura, quae et verba et sensum detorquet, et alia aliorum conamina non multo majoris pretii sunt.

Maximam speciem veritatis illud Elmsleii habere videtur *τοῖνδ'* pro *δυοῖν*. Id mihi quoque in mentem venit, sed apparet, nimis violentum esse. Quare cum ita res se habeat, ut corruptela aperta, ratio autem emendandi non facillima sit, sufficiet proferre sententiam, quae etsi non certa, tamen multo melior esse videtur, quam quae jam adsunt, et leviori mutatione non deteriorem sensum praebet. Conjicio enim:

ὄμαιμε, δεινά μ' Οἰδίπους ὁ σὸς πόσις
δρᾶσαι δικαιοῖ, δείν', ἀποκρίνας κακοῖν,

ex figura rhetorica idem verbum initio et in fine positum est.

III.

Oed. Tyr. 941 (934)

Ἰοκ. τί δ'; οὐχ ὁ πρέσβυς Πόλυβος ἐγκρατὴς ἔτι;
Ἀγγ. οὐ δῆτ', ἐπεί νιν θάνατος ἐν τάφοις ἔχει.
Ἰοκ. πῶς εἶπας; ἦ τέθνηκε Πόλυβος, ὦ γέρον;
Ἀγγ. εἰ μὴ λέγω τἀληθές, ἀξιῶ θανεῖν.

Ita nunc hi versus plerumque leguntur, sed Laur. a. cum aliis: *ἦ τέθνηκε Πόλυβος εἰ δὲ μὴ λέγω γ' ἐγὼ τἀληθὲς*, unde primus Elmsleius verba sic distinxit:

Ἰοκ. πῶς εἶπας; ἦ τέθνηκε Πόλυβος; Ἀγγ. εἰ δὲ μὴ
λέγω γ' ἐγὼ τἀληθές, ἀξιῶ θανεῖν.

in quibus nec particula *δὲ* ferri potest, et versus male divisus offendit. Triclinius scripsit:

πῶς εἶπας; ἦ τέθνηκέ που Πόλυβος γέρων;

melius Bothius:

πῶς εἶπας; ἦ τέθνηκε Πόλυβος, ὦ γέρον;

ut nuntius 1001 *γέρον* appellatur et 1009 *ὦ γεραιέ*.

Alii vero, cum *εἰ δὲ μὴ*, quod versum in duas partes secat, stichomythiam non admittere, et *δὲ* ineptum esse, recte intelligerent, verba

εἰ δὲ μὴ λέγω γ' ἐγὼ τἀληθές contraxerunt in *εἰ μὴ λέγω τἀληθὲς*, auctore ut videtur Triclinio. Aliam viam ingressus est Nauckius, qui interpolationem autumans ita conjicit: *Ἰοκ. πῶς εἶπας, ἦ τέθνηκεν [Οἰδίπου πατήρ; Ἀγγ. τέθνηκε] Πόλυβος· εἰ δὲ μή, ἀξιῶ θανεῖν.* Lacunam igitur putat olim fuisse, quae postea male expleta sit. Hoc etsi verum esse non puto, non enim licet, quae sana sunt verba delere, tamen a vero non multum abest. Nihil aliud enim habemus, nisi lacunam:

Ἰοκ. πῶς εἶπας; ἦ τέθνηκε Πόλυβος . . . .
Ἀγγ. . . . . . .   εἰ δὲ μὴ
λέγω γ' ἐγὼ τἀληθές, ἀξιῶ θανεῖν.

Verba quae exciderunt si hariolari licet, hunc fere in modum expleas:

Ἰοκ. πῶς εἶπας; ἦ τέθνηκε Πολύβος, [ὦ γέρον;
Ἀγγ. εἶπόν γε δή, τέθνηκε Πόλυβος.] εἰ δὲ μὴ
λέγω γ' ἐγὼ τἀληθές, ἀξιῶ θανεῖν.

Exorta est lacuna propter *ὁμοιοτέλευτον: τέθνηκε Πόλυβος*. Philoct. 332:

Φιλ. οἴμοι· φράσῃς μοι μὴ πέρα, πρὶν ἂν μάθω
πρῶτον τόδ' · ἦ τέθνηχ' ὁ Πηλέως γόνος;
Νεοπτ. τέθνηκεν, ἀνδρὸς οὐδενὸς θεοῦ δ' ὕπο
τοξευτός, ὡς λέγουσιν, ἐκ Φοίβου δαμείς.

Posteriores frequentant *εἰ δὲ μή γε*, verba vero prima eundem locum senarii tenent Phil. 101: *λέγω σ' ἐγὼ δόλῳ Φιλοκτήτην λαβεῖν.*

Stichomythia non repugnat, cum jam antecedenti versu finita sit, et sequens oratio Jocastae quinque versus contineat. Denique hoc bene notandum est, nullo omnium locorum, ubi *εἰ δὲ μή* apud Sophoclem exstat, stichomythiam esse, sed personam quae loquitur aut duos versus dicere (ut nostro loco), aut in fine longioris orationis illa phrasi *εἰ δὲ μή* uti. Ita Trach. 373, 587, 1201, 1204. El. 252. Phil. 661, 962; Oed. Tyr. 402. Oed. Col. 1665.

Quem non poenitet hos locos revolvere, inveniet, saepe simillimum rerum statum depingi, et nuntium verba quae modo dixit eadem ratione affirmare, qua in nostra fabula affirmare statuimus.

IV.

Oed. Tyr. 1054 (1047)·

γύναι, νοεῖς ἐκεῖνον, ὅντιν᾽ ἀρτίως
μολεῖν ἐφιέμεσθα τόν θ᾽ οὗτος λέγει;

Postquam chorus Oedipo dixit, se putare, neminem alium illum pastorem esse, a quo nuntius infantem accepit, nisi eum senem, qui advenire jussus erat, idque Jocastam optime scire debere, rex hoc quaerit ex muliere. Omni dubitatione carebit, in hac quaestione idem inesse debere, ac quod chorus modo elocutus est. Quare vera est quod ad rem attinet Schneidewini nota: meinst du, daß jener es ist, den wir herbeschieden, und den dieser bezeichnet? d. h. daß es derselbe Mann ist? Sed id quod interpretationem veram facit: daß es derselbe Mann ist, non adest sed ipse addidit. Offendit autem in nostro textu, bis relativum exstare, cum de eadem persona sermo sit. In unum coalescere debebant haec duo enunciata, non sejungi duobus relativis.

Citarunt hunc versum viri docti, ut ostenderent, *ὅστις* et *ὅς* promiscue dici posse, quod verum esse non nego, ex nostro autem loco non sequitur, cum dubius sit. Sunt vero exempla quibus veteres interdum alia atque nos ratione conjunxisse aut disjunxisse credas; conjunctionis exemplum est in Arist. poet. cap. 16 *εἰκὸς γὰρ τὸν Ὀρέστην συλλογίσασθαι, ὅτι ἥ τ᾽ ἀδελφὴ ἐτύθη καὶ αὐτῷ συμβαίνει θύεσθαι,* quod infra cap. 17 recte dictum est: *κατὰ τὸ εἰκὸς εἰπών, ὅτι οὐκ ἄρα μόνον τὴν ἀδελφὴν, ἀλλὰ καὶ αὐτὸν ἔδει τυθῆναι,* si modo sanus est locus, nam facile *ὅτι ἡ ἀδελφὴ ἐτύθη, καὶ αὐτῷ συμβαίνειν* aut alio modo restitueris; disjunctionis exemplum noster Sophoclis locus esset, in quo ambiguum est, utrum conjungas *νοεῖς ἐκεῖνον τὸν μεταπεμφθέντα καὶ ὃν οὗτος λέγει,* an ut nunc fere fit, *ὅντινα . . τόνθ᾽ . .*

Sensit necessitatem corrigendi Wunderus, qui suadente Kruegero versum excidisse affirmat; satis erit respondere, intelligi non posse, quo modo verba quae supersunt cum iis quae excidisse putat conveniant, neque opus erit longius refellere hoc medicamentum non leve sed levis pretii, si

nostram sententiam exposuerimus, puto enim more vulgari sic dicendum fuisse:

γύναι, νοεῖς εἰ κεῖνον, ὅντιν᾽ ἀρτίως
μολεῖν ἐφιέμεσθα, τόνδ᾽ οὗτος λέγει;

vide, quod infra v. 1145 nuntius dicit:

ὅδ᾽ ἐστίν, ὦ τᾶν, κεῖνος, ὃς τότ᾽ ἦν νέος.

nam vulgo Graeci dicunt *οὗτος ἐκεῖνος;* sed peritiores de hoc iudicent et meliora doceant.

V.

Aias 554 (550)

ἐν τῷ φρονεῖν γὰρ μηδὲν ἥδιστος βίος,
τὸ μὴ φρονεῖν γὰρ κάρτ᾽ ἀνώδυνον κακόν.

Haud temere interpretes in his versibus haeserunt, neque inepta eorum sententia est, qui aut alterum aut utrumque ut spurium damnaverunt, quod una eademque res bis expressa esset; tamen haec causa, si sola est, quae accusat, prudentem judicem movere non debet, ut reos versus praepropere in exilium mittat. Sed sunt plures et graviores, quae nostram lectionem non integram esse arguunt. Si enim dictum est:

„In nil sapiendo vita est jucundissima“,

nonne valde mirum videtur, deinde sequi:

„Nam sapere nil doloris expers est malum“,

qui in Syri sententiis leguntur versus, quos ex Sophocle traductos esse primus vidit Zell. Nam si hanc oxymori figuram in posteriori versu solvimus, habemus sententiam: „Nam nihil sapere malum non est“, sententiam minime aptam, quum nihil aliud nobis afferat, nisi partem prioris, neque quisquam dicet, pueritiam malum non esse, si jam dixerit, pueritiam jucundissimam vitam esse. Argumentationem vero, quam propter particulam *γὰρ* versus posterior continere debet, nullam habemus; quis enim sententiam parte eiusdem sententiae confirmari posse affirmet? Omnia restituuntur, si pro *κακόν* scri-

bimus *κακῶν* . *ἀνώδυνον κακῶν* ex structura, de qua jam multi disputaverunt, (v. O. C. 1519, El. 1002) dictum est pro *ἄνευ κακῶν* sive *ἔξω κακῶν*. Deinde haud levissimi momenti locus simillimus O. T. 1390:

τὸ γὰρ
τὴν φροντίδ' ἔξω τῶν κακῶν οἰκεῖν γλυκύ.

Porro sensus, quem mea conjectura infert, ex philosophorum doctrina est, qui eam solam vitam beatam nominandam esse contendunt, quae careat malis; hoc igitur, ut alia multa Sophocles ad Aiacis tempora transtulit. Restat documentum quoddam gravissimum. Maximae enim auctoritatis esset versio latina in Syri sententiis; Sophoclis enim Aiacem jam a Romanis traductum esse doceremur, interpretemque *κακὸν* in exemplo suo invenisse certum esset.

Sed in cod. Mon., qui unicus fons est harum Syri quae dicuntur sententiarum desiderantur illi versus, item qui v. 350 extat: *in nil sapiendo vita est iucundissima,* eosque ut alios multos editor recentior ex suo ingenio versos addidisse videtur. Postremo tenendum, Sophoclem ut Aeschylum Atticis non Jonicis literis i. e. KAKON scripsisse, quod utrum *κακόν* an *κακῶν* esset, sensus docere debebat.

VI.

Ant. 218.

Χορ. τί δῆτ' ἂν ἄλλο τοῦτ' ἐπεντέλλοις ἔτι;
Κρ. τὸ μὴ ἐπιχωρεῖν τοῖς ἀπιστοῦσιν τάδε.

Variant libri inter *ἄλλῳ* et *ἄλλο*. Haec duplex librorum lectio, ut fere solet, etiam criticos in bina castra divisit; alii *ἄλλῳ*, alii *ἄλλο* defenderunt. Sed eorum, qui *ἄλλο* tuentur, multo maior numerus est, iique victores campo decessisse videntur, siquidem certa victoria est, semper enim Galli sexcenties victi rebellare solent. Recentissimi editores ut in re lubrica fere in neutram partem moventur.

Neque ex scholiasta auxilium peti potest, non enim vetus scholiastes, ut Hermannus dicit, sed ille Triclinianus, qui nullius momenti est,

in textu invenit *ἄλλῳ*. Re vera non negari potest, utrumque quodammodo stare posse, sed non minus id certum est, utrumque quodammodo offendere. Causae, ne eas repetere cogar, bene cognosci possunt ex libellis utriusque litigantium, cum uterque adversarium non male refutet. Correctio vero ipsa se praebebit, si citavero versum mirum in modum simillimum. Noster est: *τὶ δῆτ' ἂν ἄλλο τοῦτ' ἐπεντέλλοις ἔτι;* ille v. 552: *τὶ δῆτ' ἂν ἀλλὰ νῦν σ' ἔτ' ὠφελοῖμ' ἐγώ;*

Ita etiam nostro loco scribendum erit *ἀλλά*. *τί δῆτ' ἂν ἀλλὰ* transpositum est pro *ἀλλὰ τί δῆτ' ἄν*, et fallitur Schneidewinus, qui in v. 552 *ἀλλά νῦν* conjungit; illi loci quos citat, O. I. 241 et El. 411 non hilum similitudinis habent, sed ibi *ἀλλὰ* adhortativum cum imperativo conjunctum esse apparet: *ἀλλ' οἰκτείρατε* et *συγγένεσθέ γ' ἀλλὰ* pro *ἀλλὰ συγγένεσθε* ibi quoque transpositum, ut statim El. 415 *λέγ' ἀλλὰ τοῦτο* pro *ἀλλὰ λέγε τοῦτο*. Ne vero quem offendat quod in nostro loco etiam versus praecedens cum eodem *ἀλλὰ* incipit, videat 566 et 567 itemque 538 et 540. *ἀλλὰ δῆτα* in interrogatione coniunctum videmus. Phil. 1336. Trach. 1235. El. 527.*)

VII.

Philoct. 500 (498)

νῦν δ', εἰς σὲ γὰρ πομπόν τε καὐτὸν ἄγγελον
ἥκω, σὺ σῶσον, σύ μ' ἐλέησον, εἰσορῶν
ὡς πάντα δεινὰ, κἀπικινδύνως βροτοῖς
κεῖται, παθεῖν μὲν εὖ, παθεῖν δὲ θἄτερα.

ubi parum haec convenire recte animadverterunt docti, sed neque Dobraei

*) [De veritate correctionis non dubito, sed monendum alium iam tacite hanc emendationem occupasse; Georgius Antonius Heigl in libro perversae doctrinae plenissimo über die Antigone und die Electra des Sophokles. Passau 1828 pag. 222 versum sic excudendum curavit

τί δῆτ' ἂν ἀλλὰ τοῦτ' ἐπεντέλλοις ἔτι . .

cuius ex plurimis hariolationibus ibi congestis hanc meliorem vix invenies, quam ne dignam quidem auctor censuit, de qua lectorem moneret. L. Sp.]

conjectura *πάντα κοινά,* neque Bergkii *πάντ' ἄδηλα* aptam restituit constructionem, quae recte divisis verbis apparet,

ὡς πάντα δεινὰ κἀπικίνδυν', ὡς βροτοῖς
κεῖται παθεῖν μὲν εὖ, παθεῖν δὲ θἄτερα .

ideo hominum fortuna dubia semperque metuenda est, quod deorum legibus sancitum est, ut secundas res sequantur adversae. De particula *ὡς* repetita conf. Oed. Tyr. 54—56, 241—2.

VIII.

Philoct. 1123 (1108)

οἴμοι μοι, καί που πολιᾶς
πόντου θινὸς ἐφήμενος
γελᾷ μου, χερὶ πάλλων
τὰν ἐμὰν μελέου τροφὰν,
τὰν οὐδείς ποτ' ἐβάστασεν
ὦ τόξον φίλον, ὦ φίλων
χειρῶν ἐκβεβιασμένον
ἦ που ἐλεινὸν ὁρᾷς, κτλ.

Nota est stricta concinnitas, quam Tragici in melicis observant, ut saepe eadem verba in antistropha eodem loco legamus, quo sunt in stropha. Certae quidem leges non constant, vel nobis ignotae sunt, sed aliquid auxilii diligens observatio praebere potest. Jam primum commemoraverim, duas potissimum notandas esse formas illius repetitionis verborum, primam, si duplicatum verbum adest, ut *πῶς ποτε πῶς;* alteram, si poeta invocatione vel exclamatione utitur; et hanc quidem posteriorem formam nostro loco habemus. Est enim in stropha v. 1128. *ὦ τόξον φίλον,* invocatio arcus, in antistropha autem v. 1152 *ὦ δύστανος ἐγώ.* Casu hoc factum esse, nemo contendet, qui scit, quanto studio poetae hanc aequalitatem sectentur. Id potius casui dandum erit, quod nunc v. 1128 et

v. 1152 non sibi respondent, ille enim sextus versus strophae, hic autem septimus antistophae est.

Hoc autem modo restituendum et transponendum esse puto:

οἴμοι μοι, καί που πολιᾶς
πόντου θινὸς ἐφήμενος
γελᾷ μου, χερὶ πάλλων
τὰν ἐμὰν μελέου τροφάν,
χειρῶν ἐκβεβιασμέναν,
τὰν οὐδείς ποτ' ἐβάστασεν.
ὦ τόξον φίλον, ὦ φίλον
ἦ που κτλ.

Mutationem *φίλον* ex *φίλων,* etiam nisi coacta esset nostra transpositione, se commendare puto. Codices bis habent *φίλων: ὦ τόξον φίλων, ὦ φίλων;* illud prius ex *φίλον* corruptum esse, metrum docuit. Sed aegre hoc tulit alter Menaechmorum, cum fratrem emendatum, semet ipsum emendatione destitutum videret; tam simillimi manserunt etiam post corruptionem, ut aut uterque aut neuter corrigi velint. Haec autem falsa scriptura codicum causa fuisse videtur, quare versus *χειρῶν ἐκβεβιασμέναν* loco suo aberravit; si enim bis aderat *ὦ φίλων,* lector aliquis, qui genitivum pluralis eius substantivi desiderabat, cum quo *φίλων* conjungendum esset, *χειρῶν ἐκβεβιασμέναν* apposuit et genus femininum mutavit in neutrum, accommodans ad *τόξον.* Hoc si accipimus, aliud quoque lucramur in sexto versu strophae *τὰν οὐδεὶς* respondet eodem loco antistrophae *τὰν πρόσθεν.*

Altera forma concinnitatis, ubi repetitiones vocabulorum sibi respondent, succurrere nobis potest in emendando O. C. 149

ἒ ἔ, ἀλαῶν ὀμμάτων
ἆρα καὶ ἦσθα φυτάλμιος; δυσαίων
μακραίων, τό γ' (?) ἐπεικάσαι.

Summa arte haec stropha exaequata est antistrophae: v. 149 videmus interjectionem *ἒ, ἔ,* quae, ut semper, duplicata est; in stropha 117 duplicatur *ποῦ ναίει; ποῦ κυρεῖ;* haec sibi respondent, quamquam syllabae

non eundem locum obtinent, constat enim, talem responsionem etiam post aliquod verba transferri posse; deinde 155 *πεϱᾶς γὰϱ πεϱᾶς,* item in stropha 123 *πλανάτας, πλανάτας;* deinde 166 *λόγον* ut in stropha 134 *λόγος;* porro 162 *μετάσταθ', ἀπόβαθι,* qui duo imperativi asynthetice conjuncti sunt, ut v. 131 duo adverbia *ἀφώνως, ἀλόγως;* ne id quidem negligendum videtur, quod v. 153 legitur *πϱος θήσεις* et v. 122 *πϱοσδέϱκου.*

Hanc singularem concinnitatem semel non observatum videmus. In stropha enim est *ὁ πάντων, ὁ πάντων ἀκοϱέστατος,* in antistropha autem *δυσαίων, μακϱαίων τό γ' ἐπεικάσαι.*

Sed verba corrupta esse, aliud quoque ostendit. Quid enim sibi vult *μακϱαίων τό γ' ἐπεικάσαι;* quomodo chorus, qui Oedipum senectute debilitatum et foedatum videt, et ipse jam v. 123 et 142 *πϱέσβυν* eum vocavit, dubitare potest, an re vera senex sit? Hermannum et Dindortium, quorum mutationes et interpretationes minime satisfaciunt, non male refutavit Schneidewinus, sed ipse sensum invenit aperte falsum.

Ne longum faciam, et sensus et antistropha eo nos ducit, ut pro *δυσαίων, μακϱαίων* legamus *δυσαίων, δυσαίων.* Quamquam explicare non possum, qua ratione ex *δυσαίων* factum sit *μακϱαίων,* (glossae enim formam non videtur habere), tamen hoc non tam impedimentum correcturae, quam documentum esse puto, quam corruptus sit textus tragicorum.

X.

Trach. 1031 (1025)

ἰὼ παῖ — εἴϱυσον ἔγχος,
παῖσον ἐμᾶς ὑπὸ κλῇδος· ἀκοῦ δ' ἄχος, ᾧ
μ' ἐχόλωσεν
σὰ μάτηϱ ἄθεος, τὰν —

Neminem editorum hoc loco offensum esse reperio praeter Wakefieldium, hominem nimis quidem audacem, sed, si quis alius, acuto ingenio

abundantem et callidum in divinando, quid poeta dignum sit, quid non. Dicit ille: „*ἐχόλωσε* dant editi, qui sensus mihi videtur intempestivus et loco minime consentaneus. Amplector igitur lubentissime lectionem Scholiastae memoratam, quam et ipse dudum proprio ingenio extuderam, *ἐχόλησε:* quo dolore me affecit suo felle evomendo.“ Deinde ex more suo addit catervam locorum undique congestorum, quos similes esse putat, quamquam nunquam *χολᾶν* sed semper substantivum *χόλος, χολὴ* citatum videmus. Hanc adnotationem Erfurdtius refutat his verbis: „Explicare debebat vir doctus, qua tandem de causa *ἐχόλωσε* intempestivum esset. Ego quidem nihil tale reperio.“ Non opus erat Erfurdtio, nobis fateri, se nihil reperire, sed breviter debebat dicere: *χολᾶν* apud Atticos semper intransitivum est.

Illa igitur mutatio ad irritum cadit, sed manet fundamentum, quo nitebatur, *ἐχόλωσε* intempestivum est. Iratum esse Herculem, verum est et ex tota eius oratione clarum; sed tam verum et per se tam clarum, ut fere ridiculum sit, si Hercules ipse id nobis narrat. Natura rerum postulat, hominem iratum maledicta et probra et convicia conferre in inimicos, non autem nude proclamare, se iratum esse. Violatur etiam totus sermonis tenor. Unum quodque enim verbum tinctum est moribundi Herculis furore, et exsecrationes diras continet in Dejaniram, auctorem mortis. Quam male autem sibi constaret poeta, quam male loquens persona inceptas partes tueretur, si atrocissimis conviciis mixtum hoc dictum staret: mater tua me *irritavit*, quum me occideret. Dubito, an lingua habeat vocabulum magis debile et exile et enervatum minusque huic conditioni conveniens, quam hoc *ἐχόλωσε.* Ego quidem, si mihi fingo Herculem veste veneno tincta carnem usque ad ossa comesum et erosum, et tam saeve detestantem et tam horribiles ejulatus effundentem, ut chorus exclamet: „Cohorreo audiens haec“, non minus quam chorus cohorreo audiens illa inepta verba: Dejanira me *irritavit* caede. Ji autem lectores, qui poetam claudicantem sanatum videre volunt, mihi concedent, pro *ἐχόλωσε* scribendum esse *ἐδόλωσε.* Ita statim v. 1050 Dejanira *δολῶπις* vocatur.